¶ Cantus in oĩbus feſtis & in dñicis diebus.




cut in cœlo & in terra. Panē noſtrū quotidianū da
nobis ho di è. Et dimitte nobis debita noſtra: ſicut
& nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos in-
ducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. amē.
¶ In miſſis defunctorum.
Per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.


Oremus, Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina in-
ſtitutione formati, audemus dicere. Pater noſter,
qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnũ
tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.
Pané noſtrũ quotidianum da nobis hodiè: & dimitte










Libera nos quæſumus dn̄e ab omnibus malis præteritis præſentibus, & futuris: & intercedēte beata & glorioſa ſemperque virgine Dei genitrice Maria, & beatis apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, cū omnibus ſāctis, da propitius pacē in diebus noſtris: vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & a peccato ſimus ſemper, liberi: & ab omni perturbatiōe, ſecuri. Per eundē dn̄m noſtrū Ieſū Chriſtū filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpūs ſancti Deus.

¶ Cantus in feſtis & dominicis diebus.




¶ Cãtus in miſſis defunctorum.




HÆc ſacroſancta cõmiſtio corporis & ſanguinis dñi noſtri Ieſu Chriſti, fiat mihi & omnibus ſumentibus, ſalus mentis & corporis, & ad vitam æternam capeſſendã præ-

paratio ſalutaris. Te præſtāte, Deus noſter, qui æternus viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorū. Amē.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

In miſsis defūctorum ad primum & ſecundū Agnus dei. ſine vlla pectoris tūſione loco Miſerere nobis, dicatur dona eis requiem. Ad tertiū vero, dona eis requiē ſempiternam. Et ſi non celebretur pro defunctis, antequā ſumatur Pax, dicatur hæc oratio.

Domine Ieſu Chriſte, qui es vera pax & vera concordia, fac nos pacificari in hac ſancta hora.

Dicta oratione Celebrās oſculetur altare. Si verò celebret pro defunctis illam non dicat, nec altare oſculetur. Deinde inclinatus dicat ſequentes orationes.

Domine ſācte pater omnipotēs æterne Deus da mihi hoc corpus & ſanguinē filii tui dñi noſtri Ieſu Chriſti ita ſumere, vt merear per illud remiſsionem omniū peccatorū meorū accipere: & tuo ſancto ſpiritu repleri: quia tu

es Deus benedictus, & præter te non eſt alter: cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorũ. Amen.

Oratio

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui ex volũtate patris cooperante ſpiritu ſãcto, per mortem tuã mũdũ viuificaſti, libera me per hoc ſacroſanctum corpus & ſanguinẽ tuũ ab omnibus iniquitatibus meis, & vniuerſis malis: & fac me tuis ſẽper inhærere mãdatis, & a te nunquã ſeparari permittas. Qui cum eodẽ patre viuis & regnas in vnitate eiuſdẽ ſpiritus ſãcti Deus, Per omnia ſecula ſeculorũ. Amen.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte non ſum dignus te ſuſcipere: ſed tãtum, obſecro, propitius eſto mihi indigno peccatori: & præſta vt hæc vera corporis & ſãguinis tui perceptio non ſit mihi ad iudiciũ neque ad condemnationẽ: ſed ſit omnium peccatorũ meorum optata remiſſio: & animæ & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitã æternã introductio: te præſtãte Deus noſter. Qui cũ patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Hîc accipiat patenam cū corpore Chriſti: & cum maxima humilitate & reuerētia dicat,

Panem cœleſtem accipiam, & nomen domini inuocabo.

Hîc tundat ter pectus, dicens,

Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectū meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Hic ſumat corpus domini ſignans ſe priùs, dicens,

Corpus domini noſtri Ieſu Chriſti ✠ cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amē.

Hîc poſtea ſi quid remanſerit in patena, cum digito reponat in calicem: & poſteà cum reuerētia accipiat ipſum, dicēs.

Quid retribuam domino, pro omnibus quę retribuit mihi: calicē ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo: laudās inuocabo dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.

Hic ſumat ſanguinem, ſignās ſe priùs, dicens,

Sanguis domini noſtri Ieſu Chriſti ✠ cuſtodiat animam meam in vitā æternam. Amen.

Sumpto ſanguine poſteà digitos perfundat vino & aqua, dicens,

Quod ore ſumpſimus domine, pura mēte capiamus: & de munere tēporali fiat nobis remediū ſēpiternū, amē.

Completa ſumptione ſacramenti, dicat,

Corpus tuū dn̄e quod ſumpſi, & ſanguis quē

potaui, adhæreat viſceribus meis: & præſta vt in me non remaneat ſcelerũ macula, quẽ tã ſãcta & pura refecerũt ſacramenta. Qui viuis & regnas cũ Deo patre in vnitate ſpiritus ſãcti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Finita miſſa & data benedictione, ſi danda eſt, inclinans ſe Celebrans ante medium altaris ſummæ Trinitati dicat orationem.

PLaceat tibi ſancta trinitas obſequium ſeruitutis meæ: & præſta vt ſacrificiũ, quod oculis tuæ maieſtatis indignus obtuli, tibi ſit acceptabile, mihíque & omnibus, pro quibus illud obtuli, ſit te miſerante propitiabile. Per Chriſtum dominũ noſtrum. Amen.

Oratione hac dicta, oſculetur alare, deinde dicat Dominus vobiſcum.

¶ Initium ſancti euangelij ſecundum Ioannem.

IN principio erat verbum; & verbum erat apud Deũ: & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam nõ comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimoniũ: vt teſtimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux ve-

ra, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit: & ſui eũ non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: his qui credũt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt: & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre: plenũ gratiæ & veritatis. Deſcendes ante medium altaris, genibus flexis dicat, Salue regina.

¶ Sequuntur intonationes, premiſſis cantatis terminandis.

¶ Sequens cantus dicatur in feſtis ſolennibus, etiam ſi fiat de beata Maria.







¶ Sequens cantus dicatur in miſſis beatæ Mariæ, quæ in ſabbatis celebrantur, & in votiuis eiuſdem.




¶ Sequens cantus dicatur in miſſis Angelorum.




¶ Cantus ſequens dicatur tempore reſurrectionis vſque ad vigiliam Trinitatis, & per totam octauam corporis Chriſti.






BIBLIOTECA GERAL - COIMBRA

¶ Sequentes intonationes dicantur in miſsis, in quibus non dicitur **Gloria in excelſis Deo.**

¶ Cantus ſequens dicatur in feſtis ſolennibus.







¶ Cantus ſequens eſt de beata Maria.




¶ Cantus ſequens dicatur in miſsis votiuis totius anni.




¶ Cantus ſequens dicatur in miſsis pro defunctis.

BIBLIOTECA GERAL



Requi eſ cant in pa ce.

vel aliud.



Requieſ cant in pa ce.

In na-

## ¶ In Natiuitate domini miſſa in galli cãtu.

Officium.

DOminus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodiè genui te. verſ. Quare fremuerũt gẽtes: & populi meditati ſunt inania? ℞. Dominus dixit ad me, filiꝰ meus. verſ. Gloria patri & filio. ℞ Dominus dixit ad me.

Gloria in excelſis. Oratio.

DEus, qui hanc ſacratiſsimã noctẽ veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere, da quæſumus, vt cuius lucis myſteria in terra cognouimus, eiꝰ quoq; gaudijs in cœlo perfruamur. Qui tecum viuit & regnat.

¶ Lectio Eſaiæ prophetæ.

HÆc dicit dominus, Populus, qui ãbulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Multiplicaſti gentẽ: nõ magnificaſti lætitiam. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultãt victores capta pręda quãdò diuidunt ſpolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian. Quia omnis violẽta prædatio cum tumultu, & veſtimẽtum miſtũ ſanguine, erit in cõbuſtionẽ & cibus ignis. Paruulus enim natus eſt nobis: & filiꝰ datus eſt nobis: Et factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium: & pacis nõ erit finis. Super ſoliũ Dauid, & ſup regnũ eius ſedebit: vt cõfirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia amodo, & vſq; in ſẽpiternum.

Immediatè dicatur epiſtola ſequens.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Titum.

CHariſsime, Apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo: expectātes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis: vt nos redimeret ab omni iniquitate: & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatoré bonorum operum. Hęc loquere & exhortare in Chriſto Ieſu domino noſtro. reſp. Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te. verſ. Dixit dominus dño meo, ſede à dextris meis: donec ponā inimicos tuos, ſcabellum pedū tuorū. Alleluia. Alleluia. verſ. Dñs dixit ad me: filius meus es tu: ego hodiè genui te. Alleluia.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore, Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à pręſide Syriæ Cyrino. Et ibāt omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem: eò quòd eſſet de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. Factum eſt auté cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret: & peperit filium ſuum primogenitum. & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia nō erat ei locus in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eadé vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.

Et

Et ecce angelus domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circũfulſit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodiè Saluator qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium. Gloria in altiſsimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Credo in vnum Deum. Offertorium.

Lætentur cœli, & exultet terra, ante faciem domini: quoniam venit.

Secreta.

ACcepta tibi ſit Domine quæſumus hodiernæ feſtiuitatis oblatio: vt tua gratia largiente, per hæc ſacroſancta commercia in illius inueniamur forma: in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Qui tecum viuit & regnat. Præfatio.

Quia per incarnati. Et dicatur quotidiè vſque ad epiphaniam domini. Infra actionem.

Communicantes & noctem ſacratiſsimam celebrantes: qua beatæ Mariæ intemerata. &c. Et dicantur quotidè vſque ad octauam Natiuitatis incluſiuè Sed in hac miſſa tantum dicatur noctem. Deinceps verò diem. Commu.

IN ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.

Poſt commu.

DA nobis quæſumus domine Deus noſter: vt qui Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti myſterijs frequentare gaudemus:

dignis conuerſationibus ad eius mereamur peruenire cõſortiũ. Qui tecũ viuit & regnat. verſ. Dominus vobiſcũ. Reſp. Et cũ ſpiritu tuo. Deinde diaconus verſus ad populum dicat, Ite miſſa eſt. vel eius loco ſi placuerit, Verbum patris hodiè. Et ſimiliter fiat per totã octauam.

¶ In ſecunda miſſa ſurgente aurora. Officium.

LVx fulgebit hodiè ſuper nos, quia natus eſt nobis dominus: & vocabitur admirabilis Deus, princeps pacis, pater futuri ſeculi: cuius regni nõ erit finis. verſ Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. ℟. Lux fulgebit hodiè ſuper. verſ. Gloria patri & filio. ℟. Lux fulgebit. Gloria in excelſis Deo. Oratio.

DA nobis quæſumus õnipotens Deus, vt qui noua incarnati verbi tui luce perfundimur: hoc in noſtro reſplẽdeat opere: quod per fidem fulget in mente. Per eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

¶ Lectio Eſaiæ prophetæ.

HÆc dicit dominus: Spiritus dñi ſuper me, eo quòd vnxerit me. Ad annuntiãdum mãſuetis miſit me: vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam: & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem domino, & diem vltionis Deo noſtro: Vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem conſolationem lugẽtibus Sion: & darem eis coronã pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Et vocabũtur in ea fortes iuſtitiæ, plãtatio dñi ad glorificandũ. Ecce dominus auditũ fecit in extremis terræ. Dicite filię Sion: Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cũ illo, & opus illius corã eo. Et voca-

bunt eos populus ſanctus, redépti à dño Deo noſtro. Statim dicatur ſequẽs epiſtola ¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli ap. ad Titũ.

CHariſsime, Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos: ſed ſecũdũ ſuá miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrũ regñrationis et renouatiõis ſpũs ſancti: qué effudit in nos abũdè ꝑ Ieſũ Chriſtũ Saluatoré noſtrũ: vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundũ ſpé vitæ ęternæ. in Chriſto Ieſu dño noſtro. Reſ. Benedictus qui venit in nomine dñi: Deus dñs & illuxit nobis. Verſ. A dño factũ eſt illud: & eſt mirabile in oculis noſtris. Alleluia, Alleluia. verſ. Dñs regnauit, decoré induit: induit dñs fortitudiné, & præcinxit ſe virtute. Alleluia. ¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore, Paſtores loquebantur ad inuicem: Tráſeamus vſq; Bethleé, & videamus hoc verbũ quod factũ eſt, quod fecit dñs & oſtédit nobis. Et venerunt feſtinátes: & inuenerunt Mariá & Ioſeph, & infanté poſitũ in pręſepio. Vidétes auté cognouerũt de verbo, quod dictũ erat illis de puero hoc. Et oẽs qui audierunt mirati ſunt: & de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Maria auté conſeruabat õnia verba hæc, conferés in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudátes Deũ in omnibus, quæ audierant & viderant: ſicut dictũ eſt ad illos. Credo in vnũ Deum. Offert. Deus enim firmauit orbé terrę, qui non cómouebitur: parata ſedes tua Deus ex tunc: à ſeculo tu es. Secreta.

MVnera noſtra quęſumus dñe natiuitatis hodiernę myſterijs apta proueniát: & pacé nobis ſéper infundát. vt ſicut homo genitus, idé refulſit Deꝰ, ſic nobis hæc terrena ſubſtantia

conferat quod diuinum eſt. Per eundē dñm. Præfatio & Cõmunicantes. vt ſupra. Cõm.

EXulta filia Sion, lauda filia Hieruſalē: Ecce rex tuus venit Sanctus & Saluator mundi.

Poſt commun.

HVius nos dñe ſacramenti ſēper nouitas natalis inſtauret, cuius natiuitas ſingularis humaná repulit vetuſtatem. Per enudem dñm noſtrum.

¶ In die natiuitatis domini ad miſſam maiorem. Officium.

PVer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: cuius imperium ſuper humerũ eius: & vocabitur nomen eius magni cõſilij ãgelus. verſ. Cantate dño cãticũ nouũ: quia mirabilia fecit. p. Puer natus. verſ. Gloria. p. Puer natus. Gloria in excelſis Deo. Oratio.

COncede quęſumus õnipotẽs Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnē natiuitas liberet: quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet. Per eundem dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

¶ Lectio Eſaiæ prophetæ.

HÆc dicit dñs, Propter hoc ſciet populus meus nomē meũ in die illa: quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum. Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonũ, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus. Vox ſpeculatorum tuorum leuauerunt vocem: ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbũt, cùm cõuerterit dominus Sion. Gaudete & laudate ſimul deſerta Hieruſalem, quia cõſolatus eſt dñs populum ſuum: redemit Hieruſalem. Parauit dñs brachium ſanctum ſuum in oculis omniũ gentium: & videbũt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

Immediatè dicatur epiſtola ſe-

quens.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Hebræos.

FRatres, Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquẽs patribus in Prophetis, nouiſsimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio: quẽ conſtituit hęredẽ vniuerſorũ: per quẽ fecit & ſecula. Qui cùm ſit ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtãtię eius, portáſq; omnia verbo virtutis ſuæ: purgationẽ peccatorũ faciens: ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tantò melior ãgelis effectus, quantò differẽtiùs præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquandò angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem: & ipſe erit mihi in filium. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terrę, dicit: Et adorent eum ommes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus: & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium auautem, Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, prę participibus tuis. Et tu in principio domine, terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis: & omnes vt veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es: & anni tui non deficient.

Reſ. Viderũt omnes fines terrę ſalutare Dei noſtri: iubilate Deo omnis terra. verſ. Notum fecit dominus ſalutare ſuum: ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Alleluia, Alleluia. verſ. Dies ſãctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate dominũ: quia hodiè deſcẽdit lux magna ſuper terram. Allelnia.

¶ Initium ſancti euangelij ſecundum Ioannem.

IN principio erat verbum, et verbũ erat apud Deũ: & Deus erat verbũ. Hoc erat in prĩcipio apud Deũ. Oĩa ꝑ ipſũ facta ſũt: et ſine ipſo factũ eſt nihil. Quod factũ eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimoniũ: vt teſtimoniũ ꝓhiberet de lumine, vt oẽs crederent per illũ. Non erat ille lux: ſed vt teſtimoniũ perhiberet de lumine. Erat lux vera, quę illuminat õnẽ hominẽ venientẽ in hunc mũdũ. In mundo erat, & mundus ꝑ pſũ factus eſt: & mundus eũ nõ cognouit. In ꝓpria venit: & ſui eũ non receperunt. Quotquot autẽ receperũt eũ, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex volũtate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſũt. Et verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis (Et vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre ) plenũ gratiæ & veritatis. Credo.

Offert. Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbẽ terrarũ & plenitudinẽ eius tu fũdaſti: iuſtitia & iudiciũ præparatio ſedis tuæ. Secre.

OBlata dñe munera noua, vnigeniti tui natiuitate ſãctifica: noſq; à peccatorũ noſtrorũ maculis emunda. Per. Præfa. & Cõmunicãtes vt ſuprà. Cõm.

VIderunt oẽs fines terræ, ſalutare Dei noſtri. Poſt cõ.

PRæſta quæſumus oĩpotẽs Deus, vt natus hodiè ſaluator mũdi, ſicut diuinę nobis generationis eſt autor, ita & ĩmortalitatis ſit ipſe largitor. Qui tecũ viuit. Et in fine. Ite miſſa eſt, vel Verbũ patris, vt ſuprà. Et dicatur in fine miſſæ loco ſupradicti euãgelij ſãcti Ioãnis euãgeliũ Epiphaniæ, ſcz Cũ natus eſſet.

Cir-

¶ Circũciſio domini. Officiũ.

PVer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: cuius imperium ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius magni conſilij ãgelus. verſ. Cantate dño cãticũ nouũ: quia mirabilia fecit. ꝑ. Puer natus. verſ. Gloria. ꝑ. Puer natus. Gloria in excelſis Deo. Oratio.

DEus qui nobis nati ſaluatoris diem celebrare concedis octauum: fac nos quæſumus eius perpetua diuinitate muniri: cuius ſumus carnali cõmercio reparati. Per eundem.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Titum.

CHariſsime, Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris. Vt ſupra in miſſa de luce. reſp. Viderunt omnes fines terræ, ſalutare Dei noſtri: iubilate Deo õnis terra. verſ. Notũ fecit dominus ſalutare ſuum: ante couſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Alleluia, Alleluia. verſ. Multifariàm olĩ Deus loquẽs patribus in prophetis, nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis ĩ filio ſuo. Allel.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

POſtquã conſũmati ſũt dies octo, vt circũcideretur puer vocatũ eſt nomen eius Ieſus: qđ vocatũ eſt ab ãgelo, priuſquã in vtero cõciperetur. Credo. Off. Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbem terrarũ & plenitudinem eius tu fundaſti: iuſtitia & iudiciũ præparatio ſedis tuæ. Secre.

PRæſta quæſumus dñe, vt hæc munera quæ dñi noſtri Ieſu Chriſti arcanæ natiuitatis myſterio gerimus, purificatæ mẽtis intelligẽtia cõſequamur. Per eũdẽ dñm. Præfatio. & cõmunicantes. vt ſupra de natiuitate. Commu.

VIderunt oẽs fines terrę, ſalutare dei noſtri. Poſt cõ.

Præſta

PRæſta quæſumus dñe, vt quod ſaluatoris noſtri iterata feſtiuitate percepimus: perpetuæ nobis redẽptionis conferat medicinam. Per eundem.

¶ Epiphania dñi Officium.

ECce aduénit dominator dñs: & regnum in manu eius: & poteſtas & ĩperiũ. verſ. Deus iudiciũ tuũ regi da: & iuſtitiá tuá filio regis. ꝑ Ecce aduenit. verſ. Gloria patri. ꝑ. Ecce aduenit. Gloria in excelſis. Oratio.

DEus qui hodierna die vnigenitũ tuũ gẽtibus ſtella duce reuelaſti: cõcede propitius, vt qui iá te ex fide cognouim9, vſq; ad cõtẽplandá ſpecié tuæ celſitudinis perducamur. Per.

¶ Lectio Eſaiæ prophetæ.

SVrge, illuminare Hieruſalé, quia venit lumẽ tuũ: & gloria dñi ſup te orta eſt. Quia ecce tenebræ operiẽt terrá, & caligo populos: ſup te autẽ orietur dñs: & gloria eius in te videbitur. Et ãbulabũt gẽtes in lumine tuo, et reges in ſplẽdore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: oés iſti cõgregati ſũt, venerũt tibi. Filij tui de lõge veniẽt: & filię tuæ de latere ſurgẽt. tũc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatatur cor tuũ: quãdo cõuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gẽtiũ venerit tibi. Inũdatio camelorũ operiet te: dromedarij Madiá & Epha. Oés de Saba veniẽt, aurũ & thus deferẽtes, & laudẽ dño anũtiantes. Epiſtola ſequẽs dicatur immediate poſt iſtá prophetiá, in hac die tãtũ ꝑ octauas verò epiſtola eſt ipſa prophetia ſupra dicta. ¶ Ep. b. P. ad Titũ. Chariſsime, Apparuit. vt ſuprà in miſſa de aurora. fo. 107 reſ. Oés de Saba veniẽt, aurũ & thus deferẽtes: & laudẽ dño ãnũtiãtes. ve. Surge, illũinare Hieruſalẽ: qa gloria dñi ſup te orta eſt Alleluia. al. verſ. Vidimus ſtellá eius in oriẽte: & venimus cũ muneribus adorare dñm. Alleluia.

Sequentia

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Mathæum.

CVm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudę in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerũt Hieroſolymá, dicentes: vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorũ? Vidimus enim ſtellã eius in oriente, & vénimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & õnis Hieroſolyma cum illo. Et congregás omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: in Bethleé Iudæ. Sic enim ſcriptũ eſt per prophetam: Et tu Bethleé terra Iuda, nequaquàm minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux: qui regat populũ meũ Iſrael. Tũc Herodes clàm vocatis Magis, diligéter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis. Et mittés eos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, et cũ inueneritis, renuntiate mihi: vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audiſſent Regé, abierunt. Et ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos vſq; dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer. Videntes autem ſtellã, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eũ. Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera: aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Credo. Offert. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruienr ei. Secreta.

ECcleſiæ tuæ quæſumus domine dona propitius intuere: quibus non iam aurum, thus, & myrrha profertur. Sed

quod

quod eiſdem muneribus declaratur, immolatur & ſumitur Ieſus Chriſtus filius tuus. Qui tecum. Præfatio. Quia cum vnigenitus. Infra actioné. Cómunicantes. Commu.

Vidimus ſtellam eius in oriente: & venimus cum muneribus adorare dominum.

Poſt commu.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt quod ſolenni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia conſequamur. Per dominum noſtrum. Et in fine miſſæ. Ite miſſa eſt. vel ſi placet. Stella fulget hodiè. Et notandum quòd Credo Præfatio, & Communicantes. dicuntur per totam octauam incluſiuè.

¶ Dominica reſurrectionis. domini Officium.

Reſurrexi, & adhuc tecum ſum, Alleluia: poſuiſti ſuper me manum tuam, Alleluia: mirabilis facta eſt ſcientia tua, Alleluia, Alleluia. verſ. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam. p. Reſurrexi & adhuc. verſ. Gloria patri & filio. p. Reſurrexi & adhuc. Oratio.

Deus qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reſeraſti: vota noſtra quę præueniendo aſpiras: etiam ad iuuando proſequere. Per eundé dominum.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Corinthios.

Fratres, Expurgate vetus fermentum: vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitię: ſed in azymis ſynceritatis. Reſp. Hæc dies lætitiæ quá fecit dñs: exultemus & lætemur in

in ea. verſ. Cõfitemini domino quoniam bonus : quoniam in ſeculum miſericordia eius. Alleluia, Alleluia. verſ Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. verſ. Epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis .

Proſa.

VIctimę paſchali laudes immolant Chriſtiani. Agnus redemit oues: Chriſtus innocẽs patri reconciliauit peccatores. Mors & vita, duello conflixere mirando: dux vitæ, mortuus regnat viuus. Dic nobis Maria, quid vidiſti in via? Sepulchrũ Chriſti viuentis, & gloriam vidi reſurgentis. Dic nobis Maria quid vidiſti in via ? Angelicos teſtes, ſudarium & veſtes. Dic nobis Maria quid vidiſti in via? Surrexit Chriſtus ſpes mea: pręcedet ſuos in Galilęam. Credẽdum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quàm Iudęorũ turbę fallaci. Scimus Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis verè : tu nobis victor rex miſerere. Amen. Alleluia.

Et iſta proſa dicatur per octauas vſque ad Sabbatum in albis excluſiuè.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerũt aromata: vt venientes vngerent Ieſum. Et valdè manè vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum : orto iam ſole. Et dicebant ad inuicẽm : Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti ? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem. Erat quippè maguus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida : & obſtupuerunt. Qui dicit illis, Nolite expaueſcere. Ieſũ quæritis Nazarenũ, crucifixũ : ſurrexit

xit, non eſt hîc. Ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: Ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.

Offert. Terra tremuit & quieuit, dum reſurgeret in iudicio Deus. Alleluia. Secreta.

SVſcipe, quæſumus, domine preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum: vt paſchalibus initiatæ myſterijs, ad æternitatis nobis medelam, te operāte, proficiant. Per dñm. Præf. Te quidem domine omni tēpore. Cōmunicantes. & Hanc igitur. Cōm.

PAſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, Alleluia: itaq; epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis, Allel. al. al.

Poſt commu.

SPiritum nobis domine tuæ charitatis infunde: vt, quos ſacramētis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per dominū noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiuſdē ſpiritus ſancti Deus. Per omnia ſecula ſeculorum. reſp. Amen. verſ. Dñs vobiſcum. reſp. Et cū ſpiritu tuo. verſ. Ite miſſa eſt, Alle. al. reſp. Deo gratias. al. al.

Et ſic finiatur miſſa per totam reſurrectionē, dicēdo, Ite miſſa eſt. cum duplici all. in diebus quibus dicitur, Gloria ī excelſis.

¶ Aſcenſio domini. Officium.

VIri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cœlum? Alleluia: quēadmodum vidiſtis eū aſcendentem in cœlum ita veniet, Allel. al. al. verſ. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt, p̄. Viri Galilęi. verſ. Gloria. p̄. Viri Galilæi. Oratio.

COncede quęſumus omnipotens Deus, vt, qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cælos aſcen-

aſcédiſſe credimus, ipſi quoq; mente in cœleſtibus habitemus. Per eundem dominum:

¶ Lectio actuũ apoſtolorum.

PRimum quidé ſermoné feci de õnibus (ò Theophile) quę cœpit Ieſus facere & docere: vſq; in dié qua præcipiens apoſtolis per ſpiritũ ſanctũ, quos elegit, aſſũptus eſt. Quibus & prębuit ſeipſũ viuũ poſt paſsioné ſuá in multis argumẽtis, per dies quadragĩta apparés eis, & loqués de regno Dei: & cõueſcés præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent: ſed expectarét promiſsionem patris: quá audiſtis (inquit) ꝑ os meũ. Quia Ioãnes quidem baptizauit aqua: vos auté baptizabimini ſpiritu ſãcto, nõ poſt multos hos dies. Igitur qui conuenerát, interrogabant eum, dicentes: Dñe, ſi in tépore hoc reſtitues regnũ Iſrael? Dixit auté eis: Non eſt veſtrum noſſe tépora vel momẽta, quæ pater poſuit in ſua ipſius poteſtate: ſed accipietis virtuté ſuperueniẽtis ſpũs ſancti in vos: & eritis mihi teſtes in Hieruſalé, & in õni Iudæa, & Samaria: & vſq; ad vltimũ terræ. Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorũ. Cùmq; intuerentur in cœlum eunté illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis: qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpiciétes in cœlũ? Hic Ieſus qui aſſũptus eſt à vobis ĩ cœlũ, ſic veniet, quéadmodum vidiſtis eum eunté in cœlum. Alleluia. verſ. Aſcendit Deus in iubilatione: & dñs in voce tubæ. Alleluia. allel. ver. Aſcendo ad patrem meũ, & patré veſtrum: Deum meũ, & Deum veſtrum. Alleluia.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tépore, Recũbẽtibus vndecim diſcipulis, appa-

ruit illis Ieſus: & exprobrauit incredulitaté illorũ & duritiá cordis: quia hisqui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis, Eũtes in mũdũ vniuerſum, prædicate euágelium õni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò nõ crediderit, cõdemnabitur. Signa auté eos, qui crediderint, hęc ſequétur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et ſi mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit. ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Et dñs quidé Ieſus poſtquá locutus eſt eis, aſſũptus eſt in cœlũ, & ſedet à dextris Dei. Illi auté profecti prędicauerunt vbiq;, dño cooperáte, & ſermoné cõfirmante, ſequentibus ſignis. Offert. Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cœlũ? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlũ, ſic veniet, quéadmodũm vidiſtis eum aſcendenté in cœlũ: Allel. Secreta.

SVſcipe dñe munera, quæ pro filij tui glorioſa aſcenſione deferimus: & concede propitius, vt à præſentibus periculis liberemur: & ad vitá ꝑueniamus æterná. Per eũdem dñm. Præfatio. Qui poſt reſurrectionem. Et dicitur vſq; ad vigiliá pentecoſtes excluſiuè, etiá ſi celebretur de aliquo feſto, quod propriá prefationé non habeat. Cõmunicátes, & diem. Et dicitur vſq; ad diem octauum incluſiuè. Cõmun.

PSallite domino, qui aſcédit ſuper cœlos cœlorum ad orienté: Alleluia. Poſt cõ.

PRæſta nobis quæſumus õnipotens & miſericors Deus, vt quæ viſibilibus myſterijs ſumenda percepimus: inuiſibili conſequamur effectu. Per dominum. Et finiatur miſſa cũ Ite miſſa eſt Allel. al. Et ſimiliter dicatur, p octauá.

In

¶ In die ſancto Pentecoſtes. Officium.

SPiritus domini repleuit orbem terrarum alleluia: & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, Alleluia, alleluia, alleluia. verſ. Exurgat Deus: & diſsipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. ℟. Spiritus domini. verſ. Gloria patri. ℟. Spiritus domini. Oratio.

DEus qui hodierna die corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere: & de eius ſemper cõſolatione gaudere. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti.

¶ Lectio actuũ apoſtolorum.

IN diebus illis, Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tãquam aduenientis ſpiritus vehementis: & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquàm ignis: ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto: & cœperunt loqui varijs linguis, prout ſpiritus ſanctus dabat èloqui illis. Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. Facta autem hac voce, conuénit multitudo, & mente confuſa eſt: quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquẽtes. Stupebant autem omnes, & mirabantur adinuicem dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus?

Parthi, & Medi, & Elamítę, & qui habitát Meſopotamiá, Iudæá, & Cappadociá, Pótum, & Aſiá: Phrygiá, & Páphiliá, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & áduenæ Romani: Iudæi quoq;, & Proſelyti, Cretes, et Arabes: audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Alleluia. verſ. Emitte ſpiritũ tuum, & creabuntur: & renouabis faciẽ terræ. Alleluia, al. verſ. Veni ſãcte ſpiritus, reple tuorũ corda fideliũ: & tui amoris in eis ignẽ accende. Et dum dicitur iſte verſ. ſ. Veni ſancte ſpiritus. flectantur genua à celebrante, & alijs in eccleſia exiſtentibus. Proſa.

VEni ſancte ſpũs, & emitte cœlitus lucis tuæ radiũ. Veni pater pauperum: veni dator munerũ: veni lumẽ cordium. Cõſolator optime: dulcis hoſpes animæ: dulce refrigerium. In labore requies: in æſtu tẽperies: in fletu ſolatiũ. O lux beatiſsima, reple cordis intima, tuorum fidelium. Sine tuo numine, nihil eſt in homine: nihil eſt innoxium. Laua quod eſt ſordidum: riga quod eſt aridũ: ſana quod eſt ſaucium. Flecte quod eſt rigidum: foue quod eſt frigidum: rege quod eſt deuiũ. Da tuis fidelibus, in te cõfidẽtibus ſacrũ ſeptenariũ. Da virtutis meritũ: da ſalutis exitũ: da perenne gaudium, Amen. Et in fine dicatur Alleluia. Iſta proſa dicatur per totã octauã, vſq; ad feſtum Trinitatis excluſiuè.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tẽpore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonẽ meũ ſeruabit: & pater meus diliget eũ: & ad eũ veniemus: & manſionẽ apud eũ faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos nõ ſeruat. Et ſermonẽ quẽ audiſtis, non eſt

eſt meus, ſed eius, qui miſit me, patris. Hæc loquutus ſum vobis apud vos manens. Paraclétus autem ſpiritus ſáctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: et ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis. Non quomodò mũdus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum: neque formídet. Audiſtis, quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique: quia vado ad patrem: quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis, priuſquá fiat: vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi huius: & in me nõ habet quicquam. Sed vt cognoſcat mũdus, quia diligo patrem: & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. Offer

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo tuo, quod eſt in Hieruſalem: tibi offerét reges munera: Alleluia.

Secreta.

MVnera quæſumus domine oblata ſanctifica: & corda noſtra ſancti ſpiritus illuſtratione emunda. Per dominũ noſtrum. in vnitate eiuſdem. Pręfatio. Qui aſcendens. Cõmunicantes. & Hanc igitur.

Communio.

FActus eſt repente de cœlo ſonus aduenientis ſpiritus vehementis, vbi erant ſedétes, alleluia: & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, loquentes magnalia Dei: Alleluia, Alleluia.

Poſt commun.

SAncti ſpiritus dñe corda noſtra mundet infuſio: & ſui roris intima aſperſione fœcundet. Per dominum. in vnitate eiuſdem. Finiatur miſſa cum dupplici Alleluia. & ſic fiat per totam octauam vſque ad ſabbatum incluſiuè.

¶ Dominica ſactæ Trinitatis. Officium.

BEnedicta ſit ſancta Trinitas: atque indiuidua vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcũ miſericordiã ſuam. verſ. Benedicamus patrẽ, & filium cũ ſancto ſpiritu: laudemus, & ſuperexaltemus in ſecula. ℟. Benedicta ſit, verſ. Gloria patri. ℟. Benedicta ſit. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis, in confeſsione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatẽ: quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum.

¶ Lectio libri Apocalypſis beati Ioannis apoſtoli.

IN diebus illis, Vidi oſtium apertum in cœlo: & vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecũ, dicens: Aſcende huc & oſtendam tibi quæ oportet fieri citò. Poſt hæc, ſtatim fui in ſpiritu. Et ecce ſedes poſita erat in cœlo: & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis, & ſardinis. Et iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſionis ſmaragdinæ Et in circuitu ſedis, ſedilia viginti quatuor: & ſupra thronos, viginti quatuor ſeniores ſedentes circumamicti ſtolis albis: & habebant in capitibus eorum coronas aureas. Et de throno procedebant fulgura: & tonitrua, & voces: & ſeptem lampades ardentes ante thronum: quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in conſpectu ſedis, tanquàm mare vitreum

ſimile cryſtallo: & in medio ſedis & in circúitu ſedis, quatuor animalia plena oculis antè & retrò. Et animal primum, ſimile leoni: & ſecundum animal, ſimile vitulo: & tertium animal, habens faciem quaſi hominis: & quartum animal, ſimile áquilæ volanti. Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas: & in circuitu, & intus plena ſunt oculis Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum viuenti in ſecula ſeculorum, procidebát viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno: & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum. Reſp. Benedictus es domine qui intuéris abyſſos: & ſedes ſuper cherubin. verſ. Benedicite Deum cœli: quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Alleluia, Alleluia. verſ. Benedictus es domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis in ſecula: Alleluia. vel verſ. Qualis pater, talis filius, talis ſpiritus ſanctus. verſ. O adoranda Trinitas: ò veneranda vnitas: ò perfecta deitas: ò claritas luminis.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore, Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis: niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen amen dico tibi,

niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnũ Dei. Dixit ad eũ Nicodemus: quo modo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventré matris ſuæ iterùm introire & renaſci? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renat9 fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Nõ mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò. Spiritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis: ſed neſcis vnde veniat: aut quò vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodò poſſunt hęc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi: quia quod ſcimus loquimur: & quod vidimus teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodò ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Et nemo aſcẽdit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: vt õnis, qui credit in ipſo, non pereat: ſed habeat vitam æternam. Offertorium. Benedictus ſit Deus pater: vnigenituſque Dei filius: ſanctus quoque ſpiritus: quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Secreta.

SAnctifica quæſumus dñe Deus noſter, per tui ſancti nominis inuocationem, huius oblationis hoſtiam: & per eã noſmetipſos tibi perfice munus æternum. Per dominum noſtrum. Præfatio. Qui cum vnigenito filio. Communio.

BEnedicimus Deũ cœli: & coram omnibus viuentibus

uentibus cõfitebimur ei: quia fecit nobiſcum miſericordiã ſuam. *Poſt commun.*

PRoficiat nobis ad ſalutẽ corporis & animæ, quæſumus dñe Deus, huius ſacramenti ſuſceptio: & ſempiternę ſanctæ Trinitatis, eiuſdemque indiuiduæ vnitatis confeſsio. Per dñm. *Et finiatur cum* Ite miſſa eſt. *& ſine* Alleluia.

## ¶ In die corporis Chriſti Officium.

CIbauit eos ex ádipe frumenti: Alleluia: & de petra, melle ſaturauit eos. Alleluia, Alleluia, Alleluia. *verſ.* Exultate Deo adiutori noſtro: iubilate Deo Iacob. *p̄.* Cibauit eos ex. *verſ.* Gloria patri. *p̄.* Cibauit eos ex. *Oratio.*

DEus qui nobis ſub ſacramento mirabili paſsionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quęſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari: vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo patre.

## ¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Corinthios.

FRatres, Ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis: quoniam dominus noſter Ieſus Chriſtus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratiam agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum: quod pro vobis tradetur. Hoc facite, in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamẽtum eſt: in meo ſanguine: Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcũque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec

ve-

veniat. Itaque quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. Probet autem ſeipſum homo : & ſic de pane illo edat: & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: non diiudicans corpus domini. Reſp. Oculi omnium in te ſperant domine: & tu das illis eſcam in tempore opportuno. verſ. Aperis tu manum tuā: & imples omne animal benedictione. Alleluia, Alleluia. verſ. Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meū ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Alleluia. Et notandum eſt quod quandocunque ex deuotione iſtam miſſam celebrare contigerit, a ſeptuageſima vſque ad paſcha, poſt reſpōſorium dicatur tractus ſequens. Miſit me pater viuens: & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, viuet propter me. verſ. Locutus eſt populus contra dominum: anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo. Tempore verò reſurrectionis, non dicatur reſp. ſed eius loco Alleluia: Hic eſt panis viuus, qui de cœlo deſcendit: Alleluia, Alleluia. verſ. Caro mea, &c. Alleluia, vt ſupra.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis, & turbis Iudæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit

dit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna: & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Offertorium. Sacerdotes dominĩ incenſum, & panes offerent Deo: & ideo ſancti erunt Deo ſuo: & non polluent nomen eius, Alleluia. Secreta.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus domine, vnitatis & pacis propitius dona concede: quæ ſub oblatis muneribus myſticè deſignantur. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium. Præfatio. Quia per incarnati. Communio.

QVotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis donec veniat. itaq; quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini, Alleluia.

Poſt communionem.

FAc nos quæſumus domine diuinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri: quam pretioſi corporis & ſanguinis tui, temporalis perceptio prę-figurat. Qui viuis & regnas cum Deo patre. Et finiatur miſſa cum Ite miſſa eſt, Alleluia, Alleluia.

¶ Purificatio beatæ Mariæ. Officium.

SVſcepimus Deus miſericordiam tuā in medio templi tui: ſecundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua. verſ. Magnus dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius. verſ. Gloria patri. p. Suſcepimus. Oratio.

OMnipotēs ſēpiterne Deꝰ, maieſtatē tuā ſupplices exoramus: vt ſicut vnigenitus

tus

tus filius tuus hodierna die cũ noſtræ carnis ſubſtantia in tẽplo eſt præſentatus: ita nos facias purificatis tibi mentibus præſentari. Per eundem dñm.

¶ Lectio Malachiæ ꝓphetæ.

HÆc dicit dñs: Ecce, ego mitto angelũ meũ: & pręparabit viã ante faciẽ meã. Et ſtatim veniet ad tẽplũ ſuũ dominator, quẽ vos quæritis: & angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit dñs exercituũ. Et quis poterit cogitare diẽ aduentus eius? Et quis ſtabit ad vidẽdum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans: & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans, & emundans argẽtũ: & purgabit filios Leui. Et colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum: & erunt dño offerentes ſacrificia in iuſtitia. Et placebit dño ſacrificiũ Iuda, & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi: & ſicut anni antiqui: dicit dominus omnipotens. reſp. Suſcepimus Deus miſericordiam tuã in medio tẽpli tui: ſecundum nomen tuum, ita & laus tua in fines terræ. verſ. Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri. Alleluia, Alleluia. verſ. Poſt partũ virgo inuiolata permanſiſti, Dei genitrix intercede pro nobis. Alleluia. Si venerit poſt Septuageſimam, non dicatur Alleluia: ſed loco eius & verſus, dicatur Tractus. Nunc dimittis ſeruũ tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace. verſ. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. verſ. Quod paraſti ãte faciem omnium populorum. verſ. Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſrael.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

POſtquã impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecũdum legẽ Moſi, tulerũt Ieſum

in Hieruſalem, vt ſiſterent eũ dño: ſicut ſcriptum eſt in lege dñi: Quia õne maſculinum adaperiens vuluã, ſanctũ dño vocabitur. Et vt darẽt hoſtiã, ſecundũ quod dictũ eſt in lege dñi: par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hieruſalẽ, cui nomen Simeon: & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationẽ Iſrael: & ſpiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſũ acceperat à ſpiritu ſancto, non viſurum ſe mortẽ, niſi prius videret Chriſtũ dñi. Et venit in ſpiritu in tẽplũ. Et cũ inducerent puerũ Ieſum parẽtes eius, vt facerent ſecundũ cõſuetudinẽ legis pro eo: & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deũ, & dixit: Nunc dimittis ſeruũ tuum dñe, ſecundũ verbũ tuũ in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ: Quod paraſti ante faciẽ õnium populorum: Lumen ad reuelationẽ gentium, & gloriã plebis tuæ Iſrael. Offert. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis: proptereà benedixit te Deus in æternum et in ſeculum ſeculi. Secreta.

EXaudi dñe p̃ces noſtras: et vt digna ſint munera, q̃ oculis tuę maieſtatis offerim⁹, ſubſidium nobis tuæ pietatis impẽde. Per dñm. Pręf. Quia per incarnati. Commu.

REſpõſum accepit Simeõ à ſpiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum domini. Poſt cõm.

PErfice in nobis quęſumus dñe gratiã tuã: qui iuſti Simeonis expectationẽ impleſti: vt ſicut ille mortem non vidit priuſquã Chriſtum dñi videre mereretur, ita & nos vitã obtineamus æternã. Per eũdẽ do.

¶ Blaſij epi & mar. Officium.

STatuit ei dñs teſtamentũ pacis: & principẽ fecit eum: vt ſit illi ſacerdotij dignitas in ęternum

num. verſ. Inueni Dauid ſeruum meum oleo ſancto meo vnxi eũ. verſ. Gloria. p. Satuit.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſanctũ Blaſiũ præſulem martyremq; tuum in agone certaminis tuo amore roboraſti, adſis eccleſiię tuæ precibus: & da vt, cuius triumphum recolimus in terris, eius precibus adiuuemur in cœlis. Per dominum noſtrum.

¶ Lectio libri ſapientiæ.

BEatus vir qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abijt: nec ſperauit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo: & perfectus inuentus eſt: & erit illi gloria æterna. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: & facere mala, & non fecit. Ideò ſtabilita ſunt bona illius in domino: & eleemoſynas illius enarrabit omnis eccleſia ſanctorum. reſp. Ecce ſacerdos magnus qui in diebus ſuis placuit Deo. verſ. Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. Alleluia. all. verſ. Poſuiſti dñe ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo. Alleluia. A ſeptuageſima vſque ad paſcha quia non dicitur Alleluia loco eius & verſus dicatur ſequens Tractus. Deſiderium animę eius tribuiſti ei: & volũtate labiorũ eius non fraudaſti eum. verſ. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. verſ. Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vigilate quia neſcitis qua hora dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote: quoniam ſi ſci-

ret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtiq;: & nō ſineret pérfodi domum ſuam. Ideò & vos eſtote parati: quia neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt. Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam: vt det illis cibum in tempore? Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua cōſtituet eum. Offer.

In virtute tua domine lætabitur iuſtus: & ſuper ſalutare tuū exultabit vehemēter: deſideriū animæ eius tribuiſti ei.

Secreta.

Sacrificijs quæſumus domine placare oblatis: & ſupplicante pro nobis præſule martyreque tuo Blaſio, per hæc ab omnibus nequitiarum noſtrarum liberemur inſidijs. Per dominum. Communio.

Domine quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Euge ſerue bone & fidelis: quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudiū dn̄i tui. Poſt cōm.

Corporis & ſanguinis tui domine Ieſu Chriſte venerabile ſacramentum, dilecti Blaſij martyris tui atque pontificis opitulantibus meritis, nos ad cœleſtis menſæ perducat conuiuium. Qui viuis & regnas.

¶ Sancti Martinini archiepiſcopi Bracareñ. cōfeſ. & doc.

Officium.

IN medio eccleſiæ aperuit os eius: & impleuit eum dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus: ſtolam gloriæ induit eum. verſ. Iucunditaté & exultationé theſaurizauit ſuper eū. ℟. In medio. verſ. Gloria. ℟. In medio. Oratio.

Deus

DEus qui populo tuo ęter næ ſalutis beatum Martinū miniſtrū conceſsiſti: p̄ſta quæſumus, vt quē patronum, ac doctorē vitæ habuimus in terris, interceſſorē ſemper habere mereamur in cœlis. Per.

¶ Lectio epiſtolæ beati pauli apoſtoli ad Timotheum.

CHariſsime, Teſtificor coră Deo & xp̄o Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos: & per aduentū ipſius & regnū eius: p̄dica verbū: inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in ōni patientia: & doctrina. Erit enī tēpus, cùm ſanā doctrinā nō ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidē auditū auertent: ad fabulas autē cōuertētur. Tu verò vigila in ōnibus: labora: opus fac euangeliſtæ: miniſteriū tuū imple: ſobrius eſto. Ego enim iā delibor: & tēpus meæ reſolutionis inſtat. Bonum certamen certaui: curſum cōſummaui: fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: quā reddet mihi dn̄s in illa die iuſtus iudex. Non ſolū aūt mihi: ſed & his, qui diligūt aduētū eius.

reſ. Inueni Dauid ſeruū meū: oleo ſācto meo vnxi eum: manus enī mea auxiliabitur ei: & brachiū meum cōfortabit eū. verſ. Nihil ꝓficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis nō nocebit ei. Allel. alle. ver. Elegit te dn̄s ſibi in ſacerdotem magnū ī populo ſuo. Alle. Tract9. Beatus vir qui timet dn̄m: in mādatis eius cupit nimis. verſ. Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorū bn̄dicetur. verſ Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſeculū ſeculi. ¶ Sequentia ſācti euāgelij ſecundū Matth.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolā hāc: Homo quidā peregrè profiſcens

ciſcens vocauit ſeruos ſuos: & tradidit illis bona ſua. Et vni dedit quīq; taléta, alij aũt duo, alij vero vnũ: vnicuiq; ſecũdũ propriá virtuté: & profect9 eſt ſtatim. Abijt auté qui quinq; talenta acceperat: & operatus eſt in eis: & lucratus eſt alia quinq;. Similiter qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo. Qui aũt vnũ acceperat, abiés fodit in terrá: & abſcondit pecuniá dñi ſui. Poſt multũ verò téporis venit dñs ſeruorũ illorũ: & poſuit rationé cũ eis. Et accedés qui quinq; taléta acceperat, obtulit alia quīq; taléta, dicés: Dñe quinq; taléta tradidiſti mihi: ecce alia quinq; ſup lucratus ſum. Ait illi dñs eius, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſup pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te cõſtituá: intra in gaudiũ dñi tui. Acceſsit aũt & qui duo talenta acceperat, & ait: Dñe duo taléta tradidiſti mihi: ecce alia duo ſuperlucratus ſum. Ait illi dñs eius: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſup multa te cõſtituá: intra in gaudiũ dñi tui. Offert. Beatus ſeruus, qué cũ venerit dñs, inuenerit vigilâté: amé dico vobis, ſuper oīa bona ſua cõſtituet eum. Secre.

OMnipotens ſempiterne Deus, munera maieſtati tuę oblata, ꝑ interceſsioné beati Martini cõfeſſoris tui atq; pontificis, ad ꝑpetuá fac nobis ꝓficere ſaluté. Per dñm. Cõ.

DOmine quinq; talenta tradidiſti mihi: ecce alia quīq; ſuplucratus ſũ: Euge ſerue bone & fidelis, quia ī pauca fuiſti fidelis, ſup multa te cõſtituá: intra in gaudiũ dñi tui.

Poſt cõ. SAcramenta ſalutis noſtrę ſuſcipientes, cõcede quęſumus miſericors deus, vt beati Martini cõfeſſoris tui atq; põtificis nos vbiq; oratio adiuuet: ī cui9 veneratiõe hęc tuæ obtulim9 maieſtati. Per.

¶ Benedicti abbatis. Officiũ.

IVſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur: plantatus in domo dñi, in atrijs domus Dei noſtri. verſ. Bonũ eſt confiteri dño: & pſallere nomini tuo altiſſime. verſ. Gloria patri. p̃. Iuſtus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die carnis eductũ ergaſtulo beatũ confeſſorẽ tuum Benedictum ſubleuaſti ad cœlum: concede quæſumus tuis famulis hæc feſta celebrãtibus, cunctorũ veniã delictorum: vt qui exultãtibus animis eius claritati cõgaudent, ipſo apud te interueniente, cõſociẽtur & meritis. Per.

¶ Lectio libri ſapientiæ.

IVſtus cor ſuũ tradidit ad vigilãdum diluculo ad dñm, qui fecit illũ: & in conſpectu altiſsimi deprecabitur. Aperiet os ſuũ in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim dñs magnus voluerit, ſpiritu intelligẽtię replebit illũ: & ipſe tanquã imbres mittet eloquia ſapiẽtiæ ſuæ: & in oratione cõfitebitur dño: & ipſe diriget cõſiliũ eiꝰ, & diſciplinã: & in abſconditis ſuis cõſiliabitur. Ipſe faciet palã diſciplinã doctrinæ ſuæ: & in lege teſtamenti dñi gloriabitur. Collaudabunt multi ſapiẽtiã eius, & vſq; in ſeculũ nõ delebitur. Nõ recedet memoria eius: & nomen eius requiretur à generatione in generationẽ. Reſ. Os iuſti meditabitur ſapiẽtiã: & lingua eius loquetur iudiciũ. verſ. Lex dei eius in corde ipſius: & nõ ſupplãtabũtur greſſus eius. Allel. all. verſ. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur. Alle. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha. Trac. Beatus vir. vt ſuprà. fo. 120. ¶ Sequẽtia. ſ. euãgelij ſecũdũ Mat.

IN illo tẽpore, Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis?

Ieſ9 aūt dixit illis: Amen dico
vobis, quòd vos qui ſequuti
eſtis me in regeneratiōe, cū ſe-
derit filius hominis in ſede ma
ieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuꝑ
ſedes duodecī tribus Iſrael. Et
oīs qui reliquerit domū, vel fra
tres, aut ſorores, aut patrē, aut
matrē, aut vxorē, aut filios, aut
agros ꝓpter nomen meū, cén
tuplum accipiet, & vitā æternā
poſsidebit. Offer. Deſiderium
animæ eius tribuiſti ei dn̄e: &
voluntate labiorū eius nō frau
daſti eū: poſuiſti in capite ei9 co
ronā de lapide pretioſo. Secre.
OBlatis quæſumus dn̄e,
ob honorē beati Benedi
cti cōfeſſoris tui, placare mune
ribus: & tuis famulis, ipſius in-
teruentu, cunctorū tribue pec-
catorum indulgētiā. Per. Cō.
BEatus ſeruus, quē, cū ve
nerit dn̄s, inuenerit vigi
lātē: amen dico vobis ſuper oīa
bona ſua cōſtituet eū. Poſt cō.
PErceptis tui corporis & ſan
guinis dn̄e ſacramentis con-
cede nobis, ſupplicante beato
Benedicto confeſſore, vt quæ
pro illius venerando gerimus
obitu, nobis proficiāt ad mede
lam. Qui viuis & regnas.

¶ Fructuoſi archiepī Bracar.
confeſ Officium.

STatuit ei dn̄s teſta-
mentū pacis: & prin
cipē fecit eum: vt ſit
illi ſacerdotij dignitas in æter-
nū. verſ. Inueni Dauid ſeruum
meum, oleo ſancto meo vnxi
eū. verſ Glor. ꝑ Stat. Oratio.
DEus qui nos ad veneran-
dā huius diei feſtiuitatē
beati confeſſoris tui atq; pon-
tificis Fructuoſi gaudentibus
animis ꝑuenire feciſti: da quæ-
ſumus, vt quē hîc peculiarem
paſtorem āplectimur, eius pre
cibus indulgentiā habere me-
reamur in cœlis. Per dn̄m.

¶ Lectio libri ſapientiæ:

DIlectus Deo & hominib9,
cuius memoria in bene-

dictione eſt. Similē fecit illū in
gloria ſanctorū: & magnifica-
uit eū in timore inimicorū: &
in verbis ſuis mōſtra placauit.
Glorificauit eū in cōſpectu re-
gum: & iuſsit illi corā populo
ſuo: & oſtēdit illi gloriā ſuā. In
fide & lenitate ipſius ſanctū fe
cit illū: & elegit eū ex ōni car-
ne. Audiuit enī vocē ipſius: &
induxit illū in nube. Et dedit
illi cor ad p̄cepta: & legē vitæ,
& diſciplinæ reſ. Ecce ſacerdos
magnus qui in diebus ſuis pla-
cuit Deo verſ. Nō eſt inuētus
ſimilis illi, qui cōſeruaret legē
excelſi. All. al. ver. Iurauit dn̄s,
& nō pœnitebit eū: tu es ſacer
dos in æternū ſecundū ordinē
Melchiſedec, All. ¶ Sequētia
ſancti euangelij ſecundū Mat.

IN illo tēpore, Dixit Ieſus
diſcipulis ſuis: Vigilate,
q̄a neſcitis qua hora dn̄s veſter
venturus ſit. Illud aūt ſcitote:
quoniā ſi ſciret paterfamilias,
qua hora fur vēturus eſſet, vi-
gilaret vtiq;: & nō ſineret p̄fo-
di domū ſuā, Ideo & vos eſtote
parati: quia neſcitis qua hora
filius hōinis vēturus eſt. Quis
putas eſt fidelis ſeruus, & pru-
dēs, quē cōſtituit dn̄s ſuus ſu-
pra familiā ſuā: vt det illis cibū
in tempore? Beatus ille ſeruus,
quē, cū venerit dn̄s eiꝰ, īuenerit
ſic faciētē. Amen dico vobis,
quoniā ſup ōnia bona ſua cō-
ſtituet eū. Offe. Inueni Dauid
ſeruū meū, oleo ſācto vnxi eū:
manꝰ enī mea auxiliabitur ei:
& brachiū meū cōfortabit eū.

OMnipotēs ſempi- Secr.
terne Deus, hęc munera
tuę maieſtati oblata, per inter-
ceſsionē beati Fructuoſi cōfeſ-
ſoris tui atq; pōtificis, ad per-
petuū nobis tribue prouenire
ſubſidium. Per dn̄m. Cōmu.

BEatus ſeruus, quē cū ve-
nerit dn̄s, inuenerit vigi
lātē: amē dico vobis, ſuper oīa
bona ſua cōſtituet eū. Poſt cō.

PRæſta quæſumus oīpotēs
Deus

Deus, vt de perceptis muneri-
bus gratias exhibétes, interce-
dente beato Fructuoſo confeſ-
ſore tuo atq; pōtifice, beneficia
potiora ſumamus. Per dñm.

¶ Petri martyris Archiepi Bracarenſis. Officium.

PRotexiſti me deus à
cōuētu malignan-
tiū, alle. à multitudi
ne operātiū iniquitaté, alle. all.
verſ. Exaudi deus orationem
meá: cū deprecor, à timore ini
mici eripe animá meá. p̄. Pro-
texiſti. verſ. Gloria. p̄. Protex.

Oratio.

DEus, qui pręſen-
té dié beati Petri martyris
tui atq; pōtificis martyrio cōſe
craſti: pręſta quęſumus, vt qué
paſtoré noſtrū annua celebrita
te recolim9, eius meritis & pre
cibus donū tuę gratię cōſequa
mur. p.

Lectio libri ſapiétiæ

STabunt iuſti in magna cō
ſtantia aduerſus eos qui ſe
anguſtiauerūt: & qui abſtule-
runt labores illorū. Videntes
turbabuntur timore horribili:
& mirabuntur in ſubitatione
inſperatæ ſalutis, gemétes præ
anguſtia ſpiritus, dicétes intra
ſe, pœnitentiá agentes & præ
anguſtia ſpiritus gemétes: Hi
ſunt, quos aliquādo habuimus
in deriſū: & in ſimilitudiné im
properij. Nos inſenſati vitá eo
rum æſtimabamus inſaniá: &
finé illorum ſine honore. Ecce
quomodò cōputati ſunt inter
filios dei: & inter ſanctos ſors
illorū eſt. Alleluia. verſ. Ange
lus dñi deſcendit de cœlo: &
accedens reuoluit lapidé, & ſe-
debat ſuper eū. Allel. all. verſ.
Poſuiſti dñe ſuper caput eius
coroná de lapide pretioſo. All.

Sequétia. ſ. euág. ſecūdū Ioan.

IN illo tépore dixit Ieſus diſ-
cipulis ſuis: Ego ſum vitis ve
ra, & pater meus agricola eſt.
Omnem palmité in me nō fe-
renté fructum, tollet eū: & om
nem, qui fert fructū, purgabit
eum, vt fructuum plus afferat.

Iam vos mundi eſtis propter ſermonẽ quẽ loquutus ſum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi mãſerit in vite: ſic neq; vos, niſi in me mãſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ: quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non mãſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligẽt eũ, & in ignẽ mittẽt: & ardet. Si mãſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerint, quodcũq; volueritis petetis, & fiet vobis. Credo. Offert. Confitebũtur cœli mirabilia tua dñe: & veritatẽ tuã in eccleſia ſanctorum. Alleluia. alle. Secret.

Munera tibi dñe oblata ſãctifica: & intercedẽte beato Petro martyre tuo atq; pontifice, per hæc nos à peccatorũ noſtrorũ maculis emũda. Per do. Præf. Te quidẽ. Cõm.

Ego ſum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ. Allel. allel. Poſt cõm.

Præſta quæſumus omnipotẽs deus, vt beati Petri martyris tui atq; põtificis cœleſtibus myſterijs celebrata ſolennitas indulgẽtiã nobis tuę propitiationis acquirat. Per.

Et ſi de eo celebretur ex deuotione extra tẽpus paſchale, fiat officiũ, Statuit. fo. 119. vt ſuprà in miſſa ſancti Blaſij, præter orationes, quæ in hoc eodẽ offiico beati Petri cõtinentur.

¶ Antonij cõfeſſoris. Officiũ.

Os iuſti meditabitur ſapientiã, & lingua eius loquetur iudiciciũ: lex Dei eius in corde ipſius. verſ. Noli æmulari in malignãtibus: neq; zelaueris facientes iniquitatem. verſ. Gloria pa. p. Os iuſti. Oratio.

Eccleſiam tuã Deus beati Antonij cõfeſſoris tui ſolennitas

lennitas votiua lætificet: vt ſpi ritualibus ſēper muniamur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis. Per dn̄m.

¶ Lectio libri ſapientiæ.

IVſtum deduxit dn̄s per vias rectas, & oſtendit illi regnū dei: & dedit illi ſcientiā ſanctorū. Honeſtauit illū in laboribus: & cōpleuit labores illius. In fraude circūuenientium illi adfuit: & honeſtū fecit illū. Cuſtodiuit illū ab inimicis: & à ſeductoribus tutauit illū. Et certamen forte dedit illi, vt vinceret: & ſciret, quoniā omniū potentior eſt ſapientia. Hæc vēditū iuſtū nō dereliquit, ſed à peccatoribus liberauit eū: deſcenditq; cū illo in foueā, & in vinculis nō dereliquit illū, donec afferret illi ſceptrū regni, & potētiā aduerſus eos, qui eū deprimebāt: & mendaces oſtēdit qui maculauerūt illum: & dedit illi claritatē æternā, dn̄s deus noſter. Reſ. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur in domo dn̄i. verſ. Ad annūtiādū manè miſericordiā tuā: & veritatē tuā per noctē. Allel. all. verſ. Iuſtū deduxit dn̄s per vias rectas, & oſtēdit illi gloriā ſuam, Allel. A ſeptuageſima vſq; ad Paſcha. Trac. Beatus vir vt ſuprà in miſſa ſancti Martini archiepiſcopi. fo. 120. ¶ Sequentia ſancti euāgelij ſecundū Lucā.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Nemo accendit lucernā, & in abſcōdito ponit, neq; ſub modio, ſed ſuprà cādelabrū: vt qui ingrediūtur lumen videāt. Lucerna corporis tui, eſt ocul9 tuus. Si oculus tu9 fuerit ſimplex, totū corp9 tuū lucidū erit. Si autē nequā fuerit, etiā corpus tuū tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo corpus tuū totū lucidū fuerit, nō habēs aliquā partē tenebrarū, erit lucidū totum: & ſicut

cut lucerna fulgóris illumina-
bit te. Offer. Deſideriũ animę
eius tribuiſti ei dñe: & volunta
te labiorũ eius nõ fraudaſti eũ:
poſuiſti in capite eius coronã
de lapide pretioſo. Secreta.

PRęſens oblatio fiat dñe po
pulo tuo ſalutaris: pro quo
dignatus es patri tuo te viuẽtẽ
hoſtiã ĩmolare. Qui viuis. Cõ.

IVſtus dñs & iuſtitiã dilexit,
ęquitatem vidit vultus eius.

DIuinis dñe mu- Poſt cõ.
neribus ſatiati, quæſu-
mus, vt beati Antonij cõfeſſo-
ris tui meritis glorioſis, ſaluta-
ris victimæ deſideratum ſen-
tiamus effectum. Per dñm.

¶ Geraldi archiepiſcopi Bra-
carenſis. Officium.

INclytus Dei con-
feſſor, lucerna ar-
dens ante Deũ, ho-
diè coronatus cœ-
los ingreditur, cũ quo cœleſtes
cohortes ouãt. verſ. Vbi ſine fi-
ne regnat cũ Chriſto gemma
& vita prælatorũ. p̄. Inclytus.
verſ. Gloria p̄. Incly. Oratio.

OMnipotens ſempiterne
deus: qui huius diei feſti-
uitatẽ ad laudem cõfeſſoris tui
atq; pontificis Geraldi venera-
ri præcepiſti: præſta quæſu-
mus, vt quẽ paſtorẽ dediſti no-
bis in terris, interceſſorem no-
ſtrum largiaris in cœlis. Per.

¶ Lectio libri ſapientiæ.

ECce ſacerdos magnus, qui
in diebus ſuis placuit Deo:
& inuentus eſt iuſtus: & in tẽ-
pore iracundiæ factus eſt recõ-
ciliatio. Non eſt inuentus ſi-
milis illi: qui conſeruaret legẽ
excelſi. Ideo iureiurando fecit
illum dñs creſcere in plebẽ ſuã.
Benedictionẽ omniũ gentium
dedit illi: & teſtamẽtũ ſuũ con-
firmauit ſuper caput eius. Co-
gnouit eũ in bñdictiõibus ſuis:
conſeruauit illi miſericordiam
ſuã: & inuenit gratiã corã ocu-
lis dñi. Magnificauit eũ in cõ-
ſpectu regũ: & dedit illi coro-

nam gloriæ. Statuit illi teſtamentũ ſempiternũ, & dedit illi ſacerdotiũ magnũ: et beatificauit illũ in gloria: Fungi ſacerdotio & habere laudẽ in nomine ipſius, & offerre illi incẽſum dignũ in odorẽ ſuauitatis. Reſp. Honorabilẽ feſtiuitatẽ diei hodiernæ corde & animo deuotè veneremur: qua beatus Geraldus Chriſti confeſſor ex hoc ſeculo lætus migrauit ad cœlos vers. Beatus itaq; Geraldus, peracto ſuę vitæ tẽpore, cœlorum agminibus comitatur. Allel. allel. verſ. Hic eſt ſeruus dei Geraldus, qui obitu ſuo cũ diabolo dimicans eũ deuicit. Allel. Sequẽtia. ſ. euãg. ſecũdũ Lucã.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lũbi veſtri præcincti: & lucernæ ardẽtes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus expectãtib9 dñm ſuũ, quãdo reuertatur à nuptijs: vt cùm venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Beati ſerui illi, quos, cùm venerit dñs, inuenerit vigilãtes. Amen dico vobis quòd pręcinget ſe: & faciet illos diſcũbere: & trãſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autẽ ſcitote: quoniã ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtiq; : & non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Offert. Gaude ciuitas Bracarenſis cũ tãto patrono, quẽ Deus in te ſepeliri permiſit: pro quo immenſa miracula à Deo obtinuiſti. Secret.

ACcepta ſit in cõſpectu tuo dñe ſacratæ plebis oblatio: & beati Geraldi cõfeſſoris tui atq; põtificis ſupplicatiões fiat ſalutaris: pro cuius ſolennitate defertur. Per dñm. Cõm.

O Quàm glorioſus es Dei confeſſor cũ quo in

cœlis gaudẽt agmina ſãctorũ.

DEus fideliũ remunerator animarũ, præſta vt beati Geraldi cõfeſſoris tui atq; pontificis, cuius venerãdã celebramus feſtiuitaté, precibus indulgentiã cõſequamur. Per dñm. Poſt c.

Et hęc miſſa dicatur tãtũm in die. Per circulũ verò anni in miſsis votiuis fiat officiũ, Statuit. vt ſuprà in miſſa ſancti Fructuoſi fo.122. exceptis oratiõibus, epiſtola & euãgelio quæ erunt de miſſa ſancti Geraldi.

¶ De ſancto ſpiritu. Officiũ.

SPiritus dñi repleuit orbẽ terrarum: allel. & hoc, quod cõtinet omnia, ſciẽtiã habet vocis, all. allel. all. verſ. Exurgat Deus, et diſſipentur inimici eius: & fugiãt, qui oderũt eũ, à facie eius. verſ. Gloria. p. Spiritus. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha ali9 introitus. Et in offer. & cõ. nõ dicatur Alleluia. Officium.

DVm ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & effundã ſuper vos aquã mundã, & emũdabimini ab oĩbus inquinamẽtis veſtris: & dabo vobis ſpiritũ nouum. verſ. Bñdicã dñm in õni tẽpore: ſemper laus ei9 in ore meo. verſ. Gloria. p. Dum. Oratio.

DEus qui corda fideliũ ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodẽ ſpiritu recta ſapere: & de eius ſemper cõſolatione gaudere. Per dñm. in vnitate eiuſdem.

¶ Lectio actuũ apoſtolorum.

IN diebus illis, Cũ audiſſent apoſtoli, qui erãt Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbũ dei: miſerũt ad eos Petrũ & Ioannẽ. Qui cũ veniſſent, orauerunt pro ipſis: vt acciperent ſpiritũ ſanctũ. Non dũ eni in quemquã illorũ venerat: ſed baptizati tãtũ erãt in nomine dñi Ieſu. Tũc imponebãt ma-

nus ſuper illos: & accipiebant ſpiritũ ſanctũ. verſ. Beata gens cuius eſt dñs Deus eorũ: populus quẽ elegit dñs in hæreditatẽ ſibi. verſ Verbo dñi cœli firmati ſũt: & ſpiritu oris eius oĩs virtus eorum. Allel. allel. verſ. Veni ſãcte ſpiritꝰ, reple tuorũ corda fideliũ: & tui amoris in eis ignẽ accẽde. Alle. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha quia nõ dicitur Allel. dicatur eius locõ Trac. Laudate dñm oẽs gẽtes: & collaudate eũ oẽs populi. verſ. Quoniã cõfirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas dñi manet in ęternũ. Tpe reſurrectionis non dicatur reſ. ſed eius loco Alle. verſ. Verbo dñi cœli firmati ſunt: et ſpiritu oris eius oĩs virtus eorũ All. all. verſ. Veni ſãcte. vt ſupra. All.

Sequẽtia. ſ. euãg. ſecũdũ Ioan.

IN illo tempore Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonẽ meũ ſeruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eũ veniemus, & mãſionẽ apud eũ faciemus. Qui nõ diligit me, ſermões meos nõ ſeruat. Et ſermonẽ, quẽ audiſtis, nõ eſt meꝰ: ſed eius qui miſit me, patris. Hæc loquutus ſũ vobis, apud vos manẽs. Paracletus autẽ ſpiritus ſanctus, quẽ mittet pater in nomine meo, ille vos docebit oĩa, & ſuggeret vobis oĩa, quæcunq; dixero vobis. Pacẽ relinquo vobis: pacẽ meã do vobis. Non quomodo mũdus dat, ego do vobis Nõ turbetur cor veſtrum, neq; formidet. Audiſtis, quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad patrẽ, quia pater maior me eſt. Et nũc dixi vobis priuſquã fiat: vt cũm factũ fuerit, credatis. Iam nõ multa loquar vobiſcũ. Venit enim princeps mũdi huius, & in me nõ habet quicquã. Sed vt cognoſcat mũdꝰ, q̃a diligo patrẽ: & ſicut mãdatũ dedit mihi pater, ſic facio.

Offert.

Offert. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à tẽplo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem : tibi offerent reges munera, Alleluia. Secreta.

MVnera q̃ſumus dñe oblata ſanctifica: & corda noſtra ſancti ſpũs illuſtratione cõfirma. Per do. in vnitate eiuſd.

Præf. de ſpiritu ſctõ, dũ tñ nõ dicatur Hodierna die. Cõm.

FActus eſt repẽtè de cœlo ſonus aduenientis ſpiritus vehementis, vbi erãt ſedentes, allel. & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto loquẽtes magnalia dei, alleluia, alle. Poſt cõm.

SAncti ſpiritus dñe corda noſtra mundet infuſio: & ſui roris intima aſperſione fœcũdet. Per do. in vnitate eiuſd.

¶ Ad poſtulandam gratiam ſpiritus ſancti officiũ vt ſuprà cũ ſequentibus orationibus.

DEꝰ, cui omne cor patet, & oĩs volũtas loquitur: & quẽ nullum latet ſecretum: purifica per infuſionẽ ſancti ſpiritus cogitationes cordis noſtri: vt te ꝑfectè diligere, & dignè laudare mereamur. Per dñm. in vnitate eiuſdẽ. Secr.

HÆc oblatio dñe, quæſumus, cordis noſtri maculas emundet: vt ſancti ſpiritus digna efficiatur habitatio. Per do. in vnitate eiuſd. Poſt cõm.

COncede quæſumus omnipotẽs deus ſãctũ nos ſpiritũ votis ꝓmereri ſedulis: quatenus eius gratia & ab õibus liberemur tẽtationibus: et peccatorũ noſtrorum indulgentiam mereamur accipere. Per dñm. in vnitate eiuſdem.

¶ In honorem ſanctæ crucis.

Officium.

NOs autem gloriari oportet in cruce dñi noſtri Ieſu chriſti: in quo eſt ſalus vita & reſurrectio noſtra: per quẽ ſaluati & liberati ſumus. verſ. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illu-

illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri. verſ. Gloria patri. p Nos. Oratio.

DEus qui vnigeniti filij tui dñi noſtri Ieſu xpi: ptioſo ſanguine viuificæ crucis vexillũ ſanctificare voluiſti: concede q̃s: eos qui eiuſdẽ ſanctæ crucis gaudẽt honore: tua quoque vbiq; protectiõe gaudere. Per eundẽ. ¶ Lectio epiſtolæ b. Pauli. apo. ad Philippenſes.

FRatres Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortẽ: mortẽ autẽ crucis. Propter quod & Deus exaltauit illũ: & donauit illi nomen, quod eſt ſuper õne nomẽ: vt in noĩe Ieſu õne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorum. Et oĩs lingua cõfiteatur: quia dñs Ieſus xps eſt in gloria Dei patris Reſ. Chriſt9 factus eſt pro nobis obediens vſq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. verſ. Propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen, quod eſt ſuper õne nomẽ. Allel. verſ. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera; quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere regẽ cœlorum & dñm. Allel. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha Trac. Crucẽ tuã adoram9 dñe: & tuã glorioſã recolimus paſsionem. verſ. Salua nos xp̃e ſaluator per virtutem crucis. verſ. Qui ſaluaſti Petrũ in mari, miſerere nobis. Tẽpore verò reſurrectiõis nõ dicitur reſ. ſed eius loco. Allel. verſ. Dicite in gentibus quia dñs regnauit à ligno. Alle. al. verſ. Dulce lignũ &c. Alle. vt ſuprà. ¶ Sequẽtia ſancti euangelij ſecundũ Mat.

IN illo tẽpore aſcendẽs Ieſus Hieroſolymã aſsũpſit duodecĩ diſcipulos ſuos ſecretò: & ait illis: Ecce aſcẽdimus Hieroſolymã, & filius hoĩs tradetur principibus ſacerdotũ, & ſcribis, & cõdẽnabũt eũ morte, et tradẽt eũ gẽtibus ad illudẽdũ & flagellãdũ, & crucifigendũ:

& tertia die reſurget. Offert.

Protege dñe plebē tuā per ſignū ſanctæ crucis ab oībus inſidijs inimicorū oīum: vt tibi gratā exhibeamus ſeruitutē: et acceptabile tibi fiat ſacrificiū noſtrum. Alleluia. Secreta.

HÆc oblatio dñe quæſumus ab oībus nos purget offēſis: quæ in ara crucis īmolata, etiā totius mūdi tulit offenſā. Per. Præf. Qui ſal. Cō.

PEr ſignū crucis, de inimicis noſtris libera nos Deꝰ noſter.

ADeſto nobis dñe Poſt cō. deus noſter: & quos ſāctæ crucis lætari facis honore: eius quoq; ꝑpetuis defēde ſubſidijs Per.

¶ Sequūtur miſſę votiuæ virginis Marię, quæ dici ſolēt per āni circulū in die ſabbati.

¶ Miſſa beatæ Mariæ in aduentu vſq; ad natiuitatem dñi.

ROrate cœli deſuper: & nubes pluāt iuſtū: aperiatur terra & germinet ſaluatorem. verſ. Et iuſtitia oriatur ſimul: ego dñs creaui eum. verſ. Gloria. ꝑ. Rorate. Gloria ī excelſis. Oratio.

DEus qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuū, āgelo nuntiāte, carnē ſuſcipere voluiſti: p̄ſta ſupplicibus tuis, vt qui verè eā genitricem Dei credimus, eius apud te īterceſſioībus adiuuemur. Per eūdē.

¶ Lectio Eſaiæ prophetæ.

IN diebus illis, Loquutus eſt dñs ad Achaz, dicēs: Pete tibi ſignū à dño Deo tuo in profundū inferni, ſiue in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Nō petā, & non tentabo dñm. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Nūquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hoībus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit dñs ipſe vobis ſignū. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomē eius Emmanuel. Butyrum & mel cōmedet, vt ſciat reprobare malū, & eligere bonū. reſ. Tol-

lite

lite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. verſ. Quis aſcendet in montē dñi: aut quis ſtabit in loco ſctō eiꝰ? Innocēs manibꝰ, & mūdo corde. Allel. alle. verſ. Ecce virgo concipiet, & pariet filiū Ieſum Chriſtū. Alleluia. ¶ Sequētia ſancti euāgelij ſecūdum Luc.

IN illo tēpore, Miſſꝰ eſt āgelꝰ Gabriel à Deo in ciuitatē Galilęæ, cui nomē Nazareth, ad virginem deſponſatā viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid: & nomen virginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eā, dixit: Aue gratia plena, dñs tecū: bñdicta tu in mulieribꝰ. Quę cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius: & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait āgelus ei: Ne timeas Maria: inueniſti enī gratiā apud Deū. Ecce concipies in vtero, & paries filiū: & vocabis nomen eiꝰ Ieſū. Hic erit magnus, & filius altiſsimi vocabitur. Et dabit illi dñs Deus ſedē Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in ęternū: & regni eiꝰ non erit finis. Dixit autē Maria ad āgelum: Quomodo fiet iſtud, quoniā virū non cognoſco? Et reſpōdēs āgelus, dixit ei: Spūs ſanctus ſuperueniet in te: & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctū, vocabitur filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua: et ipſa cōcepit filiū ī ſenectute ſua Et hic mēſis eſt ſextus illi, quę vocatur ſterilis: quia non eſt īpoſsibile apud deū ōne verbū. Dixit aūt Maria: Ecce ancilla dñi, fiat mihi ſecūdū verbum tuū. Off. Aue Maria gratia plena, dñs tecū: bñdicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Secreta.

IN mentibus noſtris quæſumus dñe veræ fidei ſacramēta confirma: vt qui cōceptū de virgine Deū verū, & hoīem cō

fitemur

fitemur: per eiuſdem ſalutiferæ reſurrectionis potentiá, ad æterná mereamur peruenire lætitiá. Per eundem. Præfa. de beata Maria. Communio.

ECcce virgo concipiet, & pariet filiũ: & vocabitur nomen eius Emanuel. Poſt cõ.

GRatiá tuá q̃s dñe mentibus noſtris infunde: vt quiágelo nuntiáte xp̃i filij tui incarnationem cognouimus: per paſsionem eius & crucem, ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem.

¶ A natiuitate dñi vſq; ad purific. ſanctæ Mariæ excluſiue Officium.

VVltũ tuũ dep̃cabũtur oẽs diuites plebis: adducẽtur regi virgines poſt eá: proximæ eius adducẽtur tibi in lætitia & exultatione. verſ. Eructauit cor meũ verbũ bonum: dico ego opera mea regi. ver Gloria. p. Vultũ. Gloria in ex. Oratio.

DEus qui ſalutis æternæ beatę Marię virginitate fœcunda humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus: per quá meruimus autoré vitæ ſuſcipere, dñm noſtrũ. ¶ Lectio epiſtolę b. Pauli apoſtoli ad Titũ.

CHariſsime, Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei, nõ ex operibus iuſtitię: quę fecim9 nos: ſed ſecũdũ ſuá miſericordiá ſaluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis & renouationis ſpũs ſácti, qué effudit in nos abũdè per Ieſum xp̃um ſaluatoré noſtrũ: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecũdũ ſpẽ vitę æternæ: In xp̃o Ieſu dño noſtro. Reſ. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternũ. verſ Propter veritaté & manſuetudiné & iuſtitiá: & deducet te mirabiliter dextera tua: Allel. alle.

verſ.

verſ. Poſt partum virgo inuiolata permãſiſti, dei genitrix intercede pro nobis. Alle. Tempore ſeptuageſimę Trac. Gaude Maria. vt infrà in miſſa ſequenti. ¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore, Paſtores loquebãtur ad inuicẽ: Trãſeamus vſq; Bethleẽ, & videamus hoc verbũ quod factum eſt: quod fecit dñs, & oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes: & inuenerunt Mariã, et Ioſeph, et infantẽ poſitũ in præſepio. Videntes autẽ cognouerunt de verbo quod dictũ erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt: & de his quæ dicta erãt à paſtorib9 ad ipſos: Maria autẽ conſeruabat õnia verba hæc: conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores glorificãtes & laudãtes Deũ in omnibus, quę audierãt, et viderãt: ſicut dictũ eſt ad illos. Off. Felix nãq; es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima: quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Secret.

MVneribus noſtris quæſumus dñe precibuſq; ſuſceptis, & cœleſtibus nos mũda myſterijs, & intercedẽte beata virgine Dei genitrice Maria clementer exaudi. Per eundẽ. Præfa. Quia per incar. Com.

BEata viſcera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni patris filium. Poſt cõ.

HÆc nos communio dñe purget à crimine: & intercedẽte beata dei genitrice Maria, cœleſtis remedij faciat eſſe conſortes. Per eundem.

¶ A purificatione beatæ Marię vſq; ad paſcha: & poſt feſtũ Trinitatis vſq; ad aduentum domini. Officium.

SAlue ſancta parens, enixa puerpera regẽ: qui cœlum terrãq; regit in ſecula ſeculorũ. verſ. Virgo Dei genitrix, quẽ totus nõ

capit orbis, In tua ſe clauſit viſcera fact⁹ homo. ℣. Gloria. ℟. Salue ſancta parens. Gloria in excelſis Deo. Oratio.

Concede nos famulos tuos quæſumus dñe Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis intercesſione, à præſenti liberari triſtitia: & æterna perfrui lætitia Per. ¶ Lectio libri ſapiẽtię.

Ab initio & ãte ſecula creata ſum, & vſq; ad futurũ ſeculũ nõ deſinã: & in habitatione ſancta corã ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalẽ poteſtas mea: Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius: & in plenitudine ſanctorũ detentio mea. ℣. Benedicta & venerabilis es virgo Maria: quę ſine tactu pudoris effecta es mater ſaluatoris. ℣. Virgo Dei genitrix, quẽ totus non capit orbis, In tua ſe clauſit viſcera factus homo. Alľ. all. ℣. Salue virgo mater Dei, tẽplũ ſancti ſpũs, quæ ſola vocari dignè meruiſti regina cœlorũ & dña. All. vľ Alľ. alle. ℣. Quæ eſt iſta tã formoſa, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorũ acies ordinata? Alleluia. vel Allel. alle. ℣. Virga Ieſſe floruit: virgo Deum & hominẽ genuit: pacẽ Deus reddidit, in ſe recõcilians ima ſũmis. Alle. A lxx. vſq; ad paſcha, quia nõ dicitur Allel. eius loco dicatur Tract. Gaude Maria virgo, cũctas hęreſes ſola interemiſti. ℣. Quæ Gabrielis archãgeli dictis credidiſti. ℣. Dũ virgo Deũ & hominẽ genuiſti: & poſt partum virgo inuiolata permãſiſti. ℣. Dei genitrix intercede pro nobis. ¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

In illo tempore, Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem

cem quędam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui tę portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinímo, Beati qui audiunt verbū Dei, & cuſtodiunt illud. Offert. Recordare virgo mater dū ſteteris in conſpectu Dei, vt loquaris pro nobis bonū: & vt auertas indignationé ſuā ab hac familia tu propitia, mater eximia pelle vitia, fer remedia reis in via, dás in patria vitæ gaudia, pro quibus dulcia tu præconia laudes cū gratia ſuſcipe, pia virgo Maria à nobis, amen. Secreta.

